



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 Vtrum potestas ministerij in sacramentis conueniat malis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

stitutio sacramenti vere erat facta à Deo, solum applicatio per hanc vel illam ceremoniam fiebat ab homine tamquam à ministro à Deo deputato, quia in ipsamet institutione relicta fuit indifferens ratio aut motus talis ceremoniæ. Sicut nunc etiam liberum est sacerdoti, cõsecrare in vino albo, aut rubro; quia hoc est indifferens ex vi institutionis talis sacramenti. Vnde illa determinatio non est institutio, sed applicatio talis institutionis ad realem materiam: simili ergo modo fiebat in lege naturæ, hac tantum interueniente differentia, quod indifferens materia: latior tunc erat. At vero in casu de quo agimus, non solum determinatio materiae, sed simpliciter impositio signi, & totus effectus sacramenti esset pendens à voluntate, & potestate eius, qui immediate institueret sacramentum. Quod tandem confirmatur argumento supra indicato, quia non aliter Christus habuit in humanitate sua potestatem instituendi sacramenta, & tamen iuxta modum loquendi Sanctorum & Conciliorum, sectione præcedenti tractatum, non solum, vt Deus, sed etiam vt homo habuit potestatem instituendi sacramenta, & de facto illa instituit.

Non est hac potestas pura creaturæ commissæ.

Quæres, an hæc potestas alicui puræ creaturæ, commissæ sit, si enim est possibilis, cur nemini data est? Videtur enim ad quandam perfectionem, & cõplementum diuinorum operum pertinere, vt per suas creaturas operetur omnibus modis, quibus id fieri potest, & confirmatur, nam quando Christus dixit Apollolis Ioann. 20. Sicut mihi me pater, ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: videtur eis communicasse similem potestatem, quam ipse habebat, nam eam vim habet verbum, Sicut misit me Pater, ergo ipse habebat potestatem instituendi sacramenta, & remittendi peccata, eo modo quo vellet, ita concessit Apollolis potestatem, quia illa verba sunt generalia & non sunt à nobis limitanda, vt si Rex Prorégi suo diceret, totam potestatem meam tibi concedo, intelligeretur vniuersam dare sine vlla limitatione. Respondetur ex dictis in præcedenti disputatione constare, nullam puram creaturam vsum esse hæcenus hac potestate, quia nec in lege naturæ, nec in veteri, nec in noua, facta est sacramenti institutio per aliquam creaturam, vt ostensum est. Vnde recte inferre possumus, etiam in posterum nullam creaturam vsum aliquando esse hac potestate, quia sicut lex gratiæ vltima est, & vsque ad finem mundi durabit, ita etiam institutio sacramentorum eius vltima est, ac perpetuo duratura, ita vt neque augenda, neque minuenda sint vsque ad finem sæculi. Atque hinc tandem inferimus, nemini datam esse hanc potestatem, quia potestas est propter vsum: ergo, si vsum non fuit vquam, nec futurus est, nec potestas ad illam concessa est. Atque ita Ecclesia, sicut nunquam in se agnouit potestatem mutandi formas vel materias sacramentorum: ita neque augendi, neque minuendi, eorum numerum. Ad obiectionem ergo respondetur, non esse necessarium, omnem possibilem facultatem concedi puris creaturis, præsertim quia diuina omnipotentia & liberalitas, quod ad præsens attinet, satis in hoc manifesta est, quod hanc potestatem humanitati Christi communicauit. Decuit etiam illi soli tribui, tum ob singularem dignitatem & excellentiam eius, tum etiam propter alias congruentias præcedenti sectione adductas. Ad confirmationem respondetur, verba illa Christi intelligenda esse iuxta Ecclesiæ sensum, perpetua traditione receptum, nimirum, eis significasse Christum sacramenti Pœnitentiæ institutionem, atque ita dedisse potestatem ad remittenda peccata, non quomodocumque, sed seruata forma cuiusdam spiritualis iudicij, in quo iuxta merita causæ reus, vel absoluitur, vel ligetur, seu ligatus relinquitur. Quapropter illa particula, sicut, non significat qualitatem, sed similitudinem,

aut imitationem, quod peruulgatum est, ac frequens in scripturis.

ARTICVLVS V.

Vtrum per malos ministros sacramenta conferri possint.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim noua legis ordinantur ad emundationem culpæ, & collationem gratiæ. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios à peccato mundare (secundum illud Ecclesiast. 3. 4. Ab immundo quis mundabitur?) & etiam cum gratiam non habent, non videtur, quod gratiam conferre possint, quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri possint.

2. Præterea, Tota virtus sacramentorum derivatur à Christo, vt dictum est. * Sed mali sunt præcisi à Christo, quia non habent charitatem, per quam membra capiti vniuntur, secundum illud 1. Ioann. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: Ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri non possint.

3. Præterea si desit aliquod horum, quod debitum est, esse in sacramentis, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati, secundum illud Leuitic. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: et ergo videtur, quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

SED contra est, quod Augustinus dicit super illud Ioann. 1. Tra. 5. in 6. Super quem videris spiritum, &c. Quid in Christo non nouerunt Ioannes? Potestatem Baptismi, ipsam Dominum habenturum, & sibi reuerenturum, sed ministerium plane transierunt in bonos & malos, quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est * minister ecclesiæ instrumentum aliter operantur in sacramentis, eo, huius quod quodammodo eadem ratio est ministri & instrumenti. Sicut etiam supra dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem eius à quo mouetur. Et ideo accidit instrumentum in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti sicut quod corpus medici (quod est instrumentum anime habentis artem) sit sanum vel infirmum, & sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali.

AD primum ergo dicendum, quod ministri Ecclesiæ, neque à peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quadam instrumenta. Et ideo effectus consequitur, in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

AD secundum dicendum, quod per charitatem membra Christi vniuntur suo capiti, vt ab eo vitam recipiant: quia vt dicitur 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, & à se separatum, quantum ad corporis vniionem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem, alter enim operatur artifex per manum, & alter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis & per bonos, tanquam per membra viuentia, & per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

AD tertium dicendum, quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum,

tum sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquod debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam, & hoc modo debitum est, ut ministri sacramentorum sint boni.

COMMENTARIUS.

In hoc, & sequentibus articulis observandum est, esse quaedam ex parte ministri necessaria ad veritatem sacramenti, ut factum teneat, & effectum habeat in suscipiente non ponente obicem: alia vero esse necessaria ut digne ministraretur, quae duo promittit tractat Divus Thomas in his articulis. Nos vero maioris claritatis gratia, & ut res morales facilius percipiantur, etiam ab his, qui res speculativas minus diligenter & accurate inquirunt, ea separabimus: hic solum explicando, quae sunt de necessitate sacramenti, postea vero totam materiam moraliter separatim comprehenderedo. In hoc ergo articulo Divus Thomas agit de necessitate sacramenti, atque ita respondet, malitiam ministri per se non impedire, quin sacramentum fere fiat, dummodo applicet reliqua omnia, quae sunt ad sacramentum necessaria. Ratio est, quia cum minister sit instrumentum non pendet effectus ex forma eius, quae ad instrumenti rationem non pertinet, quia instrumentum non agit propria virtute, & ideo effectus non fit similis instrumento, sed principali agenti. Circa quam rationem solum est advertendum, primariam causam, ob quam bonitas, vel malitia ministri non est necessaria ad substantiam sacramenti, petenda esse ex Christi institutione & voluntate. Nam si Christus Dominus voluisset, potuisset sine dubio instituire, ut sacramenta non essent rata, nisi a bonis ministris conferrentur, sicut instituit, ut quam plura eorum dari possent a ministro consecrato, & non ab alio, seu a viris, & non a feminis. Divus Thomas autem supponens, ut clarum est ex doctrina fidei, Christum ex speciali institutione sua non potuisse in ministris sanctitatem, ut necessariam ad valorem sacramenti: huius institutionis congruentem ratione altere studuit: & ita est ratio facilis & satis congrua. Quia cum sanctitas ministri, non sit futura principium, vel causa sanctitatis conferenda per sacramentum, nulla potuit esse conveniens ratio, ob quam Christus Dominus illam exigeret, ut simpliciter necessariam ad valorem sacramenti. Solutiones argumentorum clarae sunt: solum in solutione ad secundum adnotetur, quod D. Thomas dicit de vitione charitatis, extendi posse eadem ratione ad vitionem perfidem. Nam sicut Christus potest vti, ut instrumentum membro mortuo, sibi quae per charitatem non vnitio, ita etiam vti potest membro omnino separato sibi quae nullo modo actu vnitio in aliquo esse supernaturali: quia tanta est efficacia eius, ut possit etiam huiusmodi hominem movere, seu actione illius vti ad sacramenti effectum praestandum, si aliunde substantiale impedimentum non interuenit.

ARTICVLVS VI.

Verum mali ministrantes sacramenta, peccent.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod mali ministri a-tes sacramenta, non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera charitatis, unde dicitur Hebraeor. vlt. beneficientia & communionis nolite oblitisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Sed mali non peccant, si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4. Consilium meum tibi placeat, peccata tua elemosinis redime. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

2. Praeterea, Quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati secundum illud Rom. 1. Digni sunt mortis non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consenti-

unt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

3. Praeterea, Nullus videtur esse perplexus, quia sic homo cogitur desperare, quasi non potens peccatum euadere. Sed si mali peccarent, sacramenta ministrando, essent perplexi, quia etiam quando unquam peccarent, si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim 1. Corinth. 9. Vt a mihi non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit) quandoque etiam propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 1. cap. Eccles. Hierarch. * quod malis non est fas, nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa. Et in Epistola ad Demophilum * dicit, Talis scilicet peccator, audax videtur sacerdotibus manum apponens, & non timet neque verecundatur, diuinam praeter diuinitatem exequens, & Deum putans ignorare, quae ipse in semetipso cognouit, & decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super diuina signa CHRISTI formaliter emittare.

Respondeo dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, ut patet per Philosophum in libro secundo Ethicor. * Dicitur * est autem conueniens esse, ut sacramentorum ministri sint iusti, quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Leviticor. 9. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, & Ecclesiast. 10. Secundum iudicium populi, sic & ministri eius. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesia in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incommutabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Ad primum ergo dicendum, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiam sanctitatem, sicut quaedam iustitiae partes, & ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur, si vero sit peccator, per hoc ad iustitiam disponitur. Sed sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem: & ideo praerogatur in ministro sanctitas iustitiae, ut congruat suo ministerio. Et ideo incongrue agit & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Ad secundum ergo dicendum, quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesia non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesia, & ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur (puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat, qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

Ad tertium dicendum, quod ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare, quia potest penitere de peccato, & licite ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet, quod velit remanere in peccato. In articulo tam in necessitate non peccaret baptizando in casu in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesia, sed subueniret necessitatem patienti. Secus est autem in alijs sacramentis, quae non sunt tanta necessitatis, sicut Baptismus, ut infra patebit. *

1. Eccl. Hier de ministrando ad fin. Ex epist. 8. q. Incipit, Hieronimus: unum est autem huius parit ante mod.

Ex lib. 2. eth. c. 3. & 6. haberi potest. Et lib. 3. c. 7. rom. 5. Art. pra. ce ad 3.

Quaest. 67. 2. 1. 4.